



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

1750

Censura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83620)

C E N S U R A.

DE mandato Reverendissimi Patris Magistri Regentis Fratris Nicolai Antonii Schiaffinati Generalis legi libros, quorum titulus est. De Theologicis Disciplinis, elucubratos opera & studio admodum Reverenti Patris Magistri Fratris Joannis Laurentii Berti Florentini; in quibus nihil sane offendi, quod sanam Orthodoxamque doctrinam undique non redoleat. imo omnia ibidem perspicue, apposite, graviterque ita discussa, omnigenae eruditione referta conspexi, ut nedum Tironibus nostratibus dirigendis, & ad bona studia inflammandis, sed etiam doctis, veteranisque in abditiora sacrae doctrinae penetralia inducendis utilia, idoneaque mihi videantur. In his siquidem Auctor ita Scholasticam methodum sectatur, ut linguae barbariem quondam Peripatum obtinentem penitus exuat, ac perpetuo declinet. Dogmaticas, Polemicasque controversias passim occurrentes ita pertrahit, ut & offusas sub peregrinae eruditionis specie a versutis Novatoribus tenebras, arcessitis undique e sacrationi penu illustribus testimoniis, omnino depellat; & sacrorum Oraculorum, sanctorumque Patrum auctoritatem a malignantium, aut minus critices peritorum calumniis egregie vindicet; Scholasticas demum, adaphorasque quaestiones ea modestia, brevitate, ac perspicuitate dissolvat, ut & planiorem, ac Augustini sensibus accommodatiorem sententiam domesticis juvenibus aperiat, & externarum Academicarum sibi adversantium placitis debitum honorem ubique servet: eaque propter censeo è re Augustiniana Scholae esse, quod praefatum Opus typis mandetur.

Roma die 26. Septembris anno 1737.

Fr. Benedictus Augustinus Gattini Pratenfis, Sacrae Theologiae Magister, Procurator Generalis Ord. Erem. S. P. Augustini.

C E N S U R A.

Opus inscriptum De Theologicis Disciplinis, ac A. R. P. Magistro Fratre Joanne Laurentio Berti Florentino in Scholae Augustinianae commodum elaboratum vidi, pervidi, probavi. Vidi, inquam, ut mandatis Universi Nostri Ordinis Magistri obtemperarem: pervidi, ut voluptatem, quam in semel legendis hisce lucubrationibus perceperam, mihi ingeminarem: probavi, ut non solum Nostratium, sed externorum etiam Magni Augustini studiosorum utilitatem proveherem. Est enim Opus perspicua, claraque methodo digestum; solida, sanaque doctrina instructum; ac multiplici, minimeque obvia eruditione respersum: totum denique spirat, atque exhibet Augustinum. Est igitur cum aliis titulis, tum hoc uno nomine publica luce dignissimum. Sic censebam.

Roma in D. Augustini pridie Idus Sextiles 1737.

F. Hieronymus Augustinus Zazzeri Ord. Erem. S. P. Augustini Sacrae Theologiae Magister, Ex-Assistens Italiae, Congregationis Sacrorum Rituum Consultor, & in Archigymnasio Sapientiae Urbis Sacrae Script. Interpres.

F. NICOLAUS ANTONIUS SCHIAFFINATI
NEAPOLITANUS.

*S. Joannis ad Carbonariam, Sacrae Theologiae Magister Regens, totius
Ord. FF. Erem. S. P. AUGUSTINI Prior Generalis,
& Commissarius Apostolicus.*

Cum Opus inscriptum De Theologicis Disciplinis, à Rev. Patre Magistro F.
Joanne Laurentio Berti Florentino elaboratum, duo nostri ejusdem Ordinis
Theologi à Nobis deputati recognoverint, & in lucem edi posse probaverint;
Nos tenore praesentium facultatem concedimus, ut typis mandetur, siita
iis, ad quos reliquum spectat, videbitur.

Datum in Conventu nostro S. P. Augustini de Urbe die 10. Martii 1739.

*F. Nicolaus Antonius Schiaffinati Generalis,
& Commissarius Apostolicus.*

Nostri mun. aff. Sig.

Magister Fr. Augustinus Gioja à Juvenatio
Ordinis Secretarius.

Reg. lib. 6.

IMPRIMATUR,
Si videbitur Rmo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Philippus Spada Episc. Pisauri Vicesg.

C E N S U R A.

Cum ex mandato Reverendissimi Patris Joannis Benedicti Zuanelli Sacri
Apostolici Palatii Magistri accurate perlegerim tria Theologicarum Disciplina-
rum Volumina, quorum in priori disputatur de Existentia, & Proprietatibus
unius Dei, in altero de Summa Trinitate, de Angelis, de rerum corporea-
rum productione, in tertio denique de Originali peccato, de haeresibus adver-
sus liberum arbitrium, & gratiam, ac de ipsa gratia Reparatoris, Opus elu-
cubratum per Adm. Rev. P. Mag. Joannem Laurentium Berti Florentinum
Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, tantum abest ut in eo quidpiam
à recta fidei, vel morum norma alienum offenderim, ut potius miratus sim
Authoris ingenium, eruditionem, ac doctrinam. Quamobrem studiosorum
omnium Sacrae Theologiae bono lucubrationes hujusmodi publica Lucis usura
dignissimas cenfeo.

Datum in Conventu Transpontinae Idibus Octobris anni 1737.

F. Petrus Thomas Cacciari Carmelita Sacrae Theol. Mag. &
Doctör, Romani Cleri Examinator, atque in Collegio de
Propaganda Fide ejusdem sacrae Disciplinae Lector.

CEN-

C E N S U R A.

UT mandatis obsequeretur Reverendissimi P. Jo. Benedicti Zuanelli, Sacri Apostolici Palatii Magistri, attente Legi librorum De Theologicis disciplinis tres priores Tomos. Opus sane Doctrina & eruditionis plenum, ab Adm. Rev. P. Mag. Joan. Laurentio Berti, Eremita Augustiniano, solerter, atque ingeniose elucubratum, in quo nihil Fidei Catholicae aut bonis moribus adversum, quamplurima Sacrae Theologiae Studiosis utilissima deprehendi: in cujus fidem, &c.

D. Antonius Andreas Galli Abb. Canon. Regul. SS. Salvatoris, & Sac. Congr. Indicis Consultor.

IMPRIMATUR,

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli. Ord. Præd. S. P. A. Magister.

A P P R O B A T I O C E N S O R I S.

OPus hoc cui Titulus: Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica, mea non eget approbatione aut Commendatione, sed ut Ictus l. i ff. de in integr. restit. loquitur, se ipsum commendat, suaque præstantia sibi sit encomium, ob singularem nempe amplissimæ eruditionis copiam, solidissimæ doctrinæ vim, rerum ordinem ac claritatem perspicuam, ut ex merito attester verbis D. Ambrosii l. Hexam. cap. i. *Plus in eo est, quod probetur aspectu, quam quod sermone laudari possit, suo enim utitur Testimonio, non Suffragio alieno.* Prodeat ergo in lucem, ut publica ejus evulgatione Res litteraria novum accipiat & ornatum & emolumentum.

Imprimatur H. S.

Ex Vicariatu Augustæ Vindelicorum die 26. Febr. 1749.

Nicolaus Antonius Seiz, J. U. D. S. N.
Prælati domesticus Ecclesiæ Cathedralis. August. & insignis in Haugis Herbipol. Canonicus. Reverendiss. & Sereniss. Princip. & Episcop. August. in Spiritualibus Vicarius Generalis.

Franciscus Josephus de Handl, SS. Theol. Licent. Reverendiss. & Sereniss. Princip. & Episcop. August. Consil. Eccl. Maj. Pænit. & Libr. Censor. nec non insign. Eccles. ad S. Mauriti. Canon. & Paroch.

IN